

bus emitti solitorum, aliarumque Regularium observantiarum proprii Instituti etiam sub mortali præceptarum suspenditur quoad illa, quæ pugnant cum statu in quo reperiuntur, et perseverat quoad ea quæ compatiuntur cum eorum statu, et possunt commode observare; S. Antonin. part. 3, tit. 16, cap. 5, § 8, Silvester verb. *Religio* 6, qu. 17, Cordub. in Regul. S. Francis. cap. 2, quæst. 21, punct. 3, Rodrig. tom. 1, quæst. 30, art. 20, cum suo comp. resol. 57, n. 6; Mirand. tom. 1, *Manual. Prætor.* qu. 52, art. 5. concl. 1; Portel. in dub. Regular. verb. *Ejicere* num. 5; Peyrin. tom. 1, de *subdito* qu. 1, cap. 25, § 1, vers. *Dico quarto*; Villalobos part. 2, tract. 35, difficult. 39, num. 5; Passerin. de *Hom. stat.* tom. 3, qu. 189, n. 620, et seq.; Donat. l. cit. qu. 52, per tot. ubi sub n. 9, expresse dicit « quod hæc est vera sententia, et verior, ac tutior in praxi pro conscientia omnino amplectenda. » Colligitur ex cit. cap. *Ne Religiosi 24, de Regularib.* cit. Decret. sub Urban. VIII, § 7, per rationem adductam supra num. 49. Tum quia Ejecti per expulsionem a Religione non fiunt melioris conditionis, quam alii, alias, ex propria iniquitate commodum reportarent, contra Jura, quibus expresse dicitur, quod malitiæ non sit indulgendum, et quod fraus et dolus nemini debeant patrocinari, et signanter leg. *In fundo ff. de Rei vindic.* ibi: « Neque malitiis indulgendum est. » l. *Cum hi*, ff. de *Transact.* ibi: « Non debet via aperiri malitiis; » leg. *Si legatarius*, Cod. de *Legatis*, ibi: « Ut non accipiat fructus suæ calliditatis; » c. *Sedes 15, de Rescript.* ibi: « Quia fraus et dolus ei patrocinari non debent; » cap. *Tua 12, de Clericis non resident.* ibi: « Cum fraus et dolus nemini debent patrocinium impertiri, » cum Concordantiis. Tum etiam quia ex communi Doctorum Regulares assumpti ad Episcopatum tenentur ad observanda Vota, et Regulam sui Instituti in iis, quæ sunt compatible cum eorum dignitate; ergo a fortiori erunt obligati ejecti ad observanda vota, et Regulam sui Instituti in iis, quæ compatiuntur cum eorum statu, ne dicatur quod Regulares ejecti sint melioris sortis, quam Regulares Episcopi, et ex sua culpa hoc magnum commodum reportent, quod quia rebelles idcirco sint immunes ab obligatione servandi leges contra *Jura adducta*. Tum tandem quia, si Regularis incidat in Turcas, et captivus fiat, obligatur ad Vota, et observantias Regulares, prout potest, et suus status permittit, ergo

jus articuli num. 62, id ipsum defendit. Atqui vel hoc ipso illicita censeri debet ejectis negotiatio, quia inde maximo scandalo afficerentur fideles. Excipiendus est tamen necessitatis veræ, non quæsitæ casus, in quo certe negotiari possunt. Quantum vero ad obligationem votorum, dicimus sententiam illorum Auctorum, quos infra num. 51, laudat Auctor noster, minime probabilem esse. Nam nisi afferantur rationes, quæ eidem probabilitatem aliquam valeant conciliare, nudam auctorum illorum auctoritatem nulla probabilitate gaudere existimamus.

(NOTA ROM. THEOL.)

(1) Ejectus ex Ordine regulari non liberatur a so-

si ad illa obligatur, licet extra Claustra, talis Religiosus innocens, a fortiori obligatur, Ejectus qui est reus (52). Fateor tamen quod etiam contraria opinio sit probabilis, ex quo illam non spernendis rationibus defendant plurimi magni nominis Doctores cum Sanchez lib. 6, in Decalog. cap. 9, quæst. 3, num. 52. Diana part. 3, tract. 2, resol. 116. Barbosa in cap. Final. de *Regularibus* num. 12. Layman lib. 4, tract. 5, cap. 13, qu. 2, n. 5. Lezana part. 1, c. 23, n. 17; Navar. comment. 3, de *Regularib.* n. 26, et consil. 78, n. 2, de *Regular* (1).

(53. Ejectus juste tenetur se corrigere, et similiter petere ut iterum admittatur. Sic tenent Barbosa ad cap. final. de *Regularib.* num. 7. Fagnan. ibid. num. 9. Donat. loc. cit. quæst. 23, per tot. lib. 6, *Moral.* cap. 9, numer. 25. Tamburin. tract. 3, disput. 8, quæst. 8, n. 1. Lessius lib. 2, cap. 41, num. 111. Layman. lib. 4, tr. 5, cap. 13, num. 6. Lauret de *Franchis de Regularibus ejectis* qu. 2. Vasquez part. 2, disp. 165, num. 87. Pordon. par. 2, resol. 108, num. 20. Cordub. in Regul. S. Francis. cap. 2, quæst. 21. Lezana tom. 1, cap. 23. Pasqual. ad Lauret de *Franch.* num. 972. Silvester. verb. *Religio* 6, quæst. 11; et alii passim. Et ratio est, quia sicuti habens votum simplex Religionis tenetur ex parte sua non ponere obicem, et curare quantum potest ut admittatur in Religione quam vovit; ita a fortiori qui religiosam vitam professus est, tenetur ex vi voti se idoneum reddere, mores suos corrigere, et instare, ut iterum recipiatur. Tum quia ejectus non debet ex sua malitia reportare commodum libere manendi in sæculo, alias fieret melior conditionis quam alii Religiosi, et via aperiretur delictis, dolis et fraudibus contra *Jura adducta* sub n. 51.

(54. Juste Ejectus potest cogere Religionem, ut se iterum recipiat, dummodo saltem ex litteris testimonialibus Ordinarii constet esse plene emendatum, habetur expresse ex § 7, cit. Decr. sub Urbano VIII, ibi: « Ac postremo censuit esse innovandam, et suæ Beatitudinis auctoritate innovat Constitutionem felic. record. Gregor. IX. relatum in cap. fin. de *Regularibus*. Ac præterea eam Constitutionem in iis quoque vindicare sibi locum, servandamque esse, qui juste diffinitiveque, ac juris ordine servato, expulsi fuerint, dummodo tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis, ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam in his litteris conceden-

lemni obligatione, quam in professione contraxit non cum Regularibus, sed cum Deo. Privatur quidem sua culpa bonis, quibus fruebatur, Communitatis, sed obligatio in eo manet servandi vota, et alia, quæ Deo pollicitus sit. Et si illa obligatio manet in eo qui captivus apud Turcas maneat, ut Auctor innuit num. 51, cum hoc manere obligatio non debebit, qui propria culpa a Regularibus e propria sit societate ejectus? Numquid culpa prodesset ei poterit ad exuendas obligationes, quas cum Deo contraxit? Jure enim naturæ vota servare adstringimur. Itaque improbabilis omnino est Sanchezii, aliorumque opinio.

(NOTA ROM. THEOL.)

dis Sacra Congregatio serio oneravit; » Lezana tom. 1, cap. 23, num. 9. Navarr. lib. 3, consil. tit. de *Regular.* consil. 18. Molina tom. 1, de *Justit.* disput. 14. Matthæuc. loc. cit. num. 33. Ameno de *incurribilium Expulsionem* part. 3, quæst. 16, num. 69, et seq. Donat. loc. cit. quæst. 26, et passim alii, qui scripserunt post cit. Decret. edit. sub Urbano VIII. Et ratio est quia ex d. Decret. sola incorrigibilitas justificat expulsionem, ergo et illa solum poterit impedire regressum; sed in emendato et correcto non subsistit incorrigibilitas, ergo nec causa legitima rejiciendi, et impediendi regressum.

(55. Neque in hoc admitti debet excusatio aliqua post dictam declarationem Sacræ Congregationis Concilii sub Urbano VIII, nam per ipsam innovatur cap. final. de *Regularibus*, ubi sic præcise statuitur. « Abbates seu Priores eorum monitione prævia per censuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salva Regulæ disciplina; quod si hoc Regularis Ordo non patitur, auctoritate nostra provideant, ut apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis Religiosis domibus ejusdem Ordinis ad agendam ibi pœnitentiam talibus vitæ necessaria ministrentur. » Ex quibus patet, quod si aliquo rationabili motivo ut evitentur scandala, et salvetur Regulæ disciplina, et hujusmodi, non conveniat ipsum recipere intra eundem Conventum ad consortium eorumdem aliorumque Religiosorum, debeat recipi alibi, ac si non fuisset ejectus, et debet Religio talem illius curam habere, qualem debet habere de non ejecto, salva sola differentia innocentis et pœnitentis, ut recte dicit Passerin. de *Homin. stat.* tom. 3, quæst. 189, art. 8, num. 656. Et Sacra Congregatio de mandato Sanctissimi vult sic exacte observari dic. cap. fin. de *Regularib.* et omnia disposita in cit. decret. quod contra transgressores imponit pœnam ipso facto incurram privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque activæ, vel passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, ibi § 9. « Si quis vero ipsorum adversus ea, quæ superius præscripta sunt, vel eorum aliquid quoquomodo facere, vel moliri præsumperit, ipso facto pœnam incurrat privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ, vel passivæ ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda; pœnaque hujusmodi sit Sanctitati suæ ac Sedi Apostolicæ reservata, iisdem Superioribus etiam Generalibus, et Protectoribus, illam mode-

(1) Quin immo cum Religiosi omnes Regularium Superiorum curæ sint commissi, isti nihil omittere debent, quo ejectos ad primævia officia revocent, ne eosdem more mercenariorum deserere videantur, quos ideo recte monuit Sac. Concil. Trid. cap. 1, in fin. sess. 24, de reformat. *Quod ovium Christi sanguinem, quæ ex malo negligentium, seu officii immemororum Pastorum regimine peribunt, Dominus noster Jesus Christus de manibus ejus sit requisiturus, et Fagn. in Decretal.* lib. 3, in cap. ne *Religiosi*, sub num. 6 et plur. seq. Juste vero expulsus, si ad Reli-

FERRARIS. III.

randi seu relaxandi potestate penitus interdicta; et nihilominus sit irritum, et inane, quidquid secus a quoquam actum extiterit (1).

(56. Ejectus rediens ad Religionem non tenetur de novo Novitiatum obire, et professionem emittere, quia quantum ad experimentum morum supplet spes evidens emendationis, et quantum ad professionem non fuit prior extincta, sed solum ejus obligatio ad tempus, quo ille extra Religionem mansit, fuit quoad aliqua suspensa; Rodriguez tom. 1, qq. *Regular.* qu. 30, art. 28. Sanchez lib. 6 in *Decalog.* cap. 9, num. 33. Lezana tom. 2, cap. 23, n. 9. Donat. l. cit. qu. 17, num. 1. Ameno l. cit. part. 3, quæst. 16, num. 101. Matthæuc. loc. cit. num. 34, et alii passim. (57. Ejectus rediens, præscindendo a statutis, et Constitutionibus uniuscujusque Religionis, non est statim restituendus ad gradum, et præcedentias, sed prius probandus est, et expectandus quod exemplo bonorum operum, et exercitio actuum virtutis se dignum ostendat; Ameno l. cit. part. 3, qu. 19, num. 113, citans alios, Matthæuc. loc. cit. num. 33. (58. Immo Donatus loc. cit. quæst. 27, n. 3, citans Sanchez, et Rodriguez dicit expresse, quod Ejecti redeuntes non debent restitui ad eundem locum, gradum et honores, quibus antea fruebantur; non enim decet recedentes a Religione veteranos præcedere Religiosos, qui quotidie portaverunt pondus diei, et æstus, et semper in amore fraternitatis et jugo obedientiæ famulatum præstiterunt; et sic tenent etiam Lezana l. cit. num. 9. Suarez tom. 4, de *Relig.* tract. 8, lib. 3, cap. 5, n. 17, et alii.

(59. Ejectus a Religione ob crimina falsa, quæ ipse sibi ad hunc finem imposuit, non est securus in conscientia, extra illam, seu est verus Apostata; quia talis ejectio est involuntaria, et fraudulenta, utpote fraudibus et falsitatibus extorta, et propterea nihil ipsi suffragatur; arg. cap. *Sedes 15, de Rescriptis*, ibi: *Quia fraus et dolus ei patrocinari non debent, c. Tua 12, de Clericis non resid.* cum aliis Juribus adductis sub num. 51. Unde tenetur detegere fraudes, et redire ad Religionem; Anton. a Spiritu Sancto *Direct. Regular.* tract. 4, dist. 3, sect. 12, num. 495. Sanchez l. 6. in *Decalog.* cap. 9, num. 67. Bonacina *De claus.* quæst. 2, punct. 12, § 1, num. 13. Lezana verb. *Ejicere*, num. 10. Donat. loc. cit. quæst. 56, n. 1, et alii. (60. Et hoc etiam est dicendum de sic expulsis post Vota biennii a Societate Jesu. Si quis enim ex istis falsa crimina sibi imponat, vel

gionem revocatus ad eam redire detrectet, jure posse compelli tenent Sanchez in *præcep. Decalog.* tom. 2, lib. 6, cap. 9, num. 50. Suar. tom. 5, *disput.* 27, sect. 5, n. 20. Quid nomine ejectionis intelligendum sit, non satis liquet. Alii tenent de expulsionem a Religione intelligendum esse, de quibus supra, alii vero relati a Fagnan. l. c. a. n. 56, ad 44 et seq. contrariam tuentur opinionem, intelligendum nempe esse de ejectione ab aliorum Monachorum consortio, quæ æquior, et magis rationi consona videtur, idcirco laudatum Auctorem, si libet, consule. (EDIT. BARBIELL.)

etiam eo fine delinquat, ut a Societate expellatur, non remanet tatus in conscientia, quamvis sua vota biennii fuerint conditione emissa, scilicet pro tempore quo eum Societas alit, et retinet. Nam non liberatur ab obligatione Voti conditionalis qui nittur conditionem non impleri, ut liber evadat, et qui novit Religionem, votum non implet, si delinquat eo fine, ut non admittatur; sique in proposito non liberatur, et solvitur a Votis biennii Jesuita, nisi quando ex parte Societatis ejectione est voluntaria, qualis non est in casu, sed per malitiam exorta, et ita ejusdem Societatis Congregatio Generalis *Decreto* 18, § 4, cum protestatione decrevit; sic Sanchez lib. 6, in *Decal.* cap. 9, quæst. ult. num. 96.

(61. Ejectus juste, si emendatus ad claustra rediens non admittatur, potest tuta conscientia remanere in sæculo, et instar Clericorum Sacramenta recipere. Per ipsum enim non stat quominus in pristinam Religionem admittatur, maxime si repetitis vicibus accesserit ad Patres Religionis, a qua fuit expulsus, et ab eisdem semel, bis, et ter fuerit repulsus; sic enim fecit quantum potuit, et quod in se fuit, unde quod foris maneat, non est ei imputandum, quia ad impossibile moraliter nemo tenetur; Grassius lib. 3. de *Regul.* consil. 3. num. 9. Layman lib. 4. tract. 4. cap. 13. de *Ejectis* q. 5. n. 8. Navarr. in *Commentar.* 2. de *Regul.* num. 36. Rodriq. tom. 1. quæst. 30. art. 21. Barbosa cum multis allegatis in c. final. de *Regularib.* num. 9. q. 4. et alii. (62. Ejectus in sæculo remanens si in Ordinibus etiam minoribus constitutus sit, tenetur incedere in habitu Clericali; sic declaravit Sacra Congregatio 1 Aprilis 1628. ut refert Novarius in *Lucerna Regular.* verb. *Ejecti* num. 7. et ex ipso Lezana eodem verb. *Ejecti*, numer. 8. (63. Ubi ex tali declaratione colligit, Laicos seu Conversos ab Ordine expulsos non teneri incedere in habitu Clericali, cum nec in Minoribus sint constituti, et posse uti Laico, ut tenet etiam Suarez tom. 4. de *Relig.* tract. 8. lib. 3. cap. 6. num. 14. Novarius l. cit. num. 7. Ameno l. cit. part. 3. qu. 3. num. 16. et q. 18. num. 109. Et ratio istorum est, quia hujusmodi Ejectus non tenetur esse Clericus, si non vult; et sufficit, si cælibatam servet in vita, et consequenter in habitu laicali, subditque Suarez l. cit. Episcopum non posse hujusmodi ejectionem cogere ad habitum Clericalem, cum illum non voverit. Oppositum tamen tenent Donatus l. c. q. 41. num. 2. Peyrin. *Formul.* litt. E. cap. 39. n. 3. Pellizar. *Manual.* tract. 8. cap. 7. num. 18. Pasqualig. ad Lauret de Franch. num. 987. quia in cit. § 4. decret. edit. sub Urbano VIII. non distinguitur inter Clericum et Laicum, sed indefinite dicitur: « Sic vero ejecti quando non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant. »

(64. Ejectus deponens habitum Clericalem animo nunquam reassumendi habitum neque Clericalem, neque Regularem, immo sæculari Militiæ se scribens si sit Clericus, est vere Apostata; quia ejectus habet obliga-

tionem corrigendi mores suos, vivendo morigerate et religiose in habitu Clericali; immo et in habitu Religioso si revocetur ad claustra; adeoque deponens habitum Clericalem eo animo perpetuandi in rebellionem a statu Clericali, et Regulari, immo se adscribens militiæ sæculari, vere est Apostata; Donat. loc. cit. quæst. 42. per tot. Pasqualig. ad Lauret. de Franch. num. 108. Maranta tom. 3. *Controvers.* respons. 18. n. 31. et sequ. Passerin. de *Statu homin.* to. 3. q. 189. n. 677. et alii. (65. Si vero deponens habitum Clericalem sit Laicus, seu Conversus, et deponat animo nunquam reassumendi habitum, neque Clericalem, neque Regularem, immo sæculari militiæ se adscribat, in sententia illorum qui dicunt Laicum ejectionem teneri incedere habitu Clericali, censendus est vere Apostata propter rationem allatam de Clerico. (66. Si vero Laicus ejectus deponat habitum Clericalem, ut possit in habitu laicali facilius victum sibi procurare, et morigerate vivat, habens animum reassumendi habitum regularem quoties ad claustra revocetur, vel admittatur, etiamsi habitum Clericalem nunquam reassumat, in sententia illorum, qui dicunt Laicum ejectionem non teneri incedere in habitu Clericali, non est censendus Apostata, cum juxta illos in nihilo deficiat.

(67. Ejectus acquirit adhuc bona Monasterio, vel Religioni unde est ejectus. Non enim per expulsionem est a Religione omnino præcisus, nec desinit esse Monachus, seu Religiosus, cum si se corrigat et emendet, teneatur Monasterium eum recipere. Immo tenetur Monasterium seu Religio annuatim illum requirere ut redeat, et ejectus vocatus tenetur redire, aliter potest per Censuras compelli, ut expresse statuitur in cap. final. *Regularibus*, innovato in dict. § 7. decret. edit. sub Urbano VIII. adeoque tamquam adhuc Monachus vel Religiosus acquirit non sibi, sed Monasterio, vel Religioni; cap. *Monachi* 2. cap. *Super quodam* 4. et cap. *Cum ad Monasterium* 6. de *Statu Monachorum*, cap. *Non dicatis aliquid proprium* 11. caus. 12. q. 1. Conc. Trident. sess. 23. cap. 2.

(68. Acquirunt tamen Ejectus usum facti, et Jus disponendi de acquisitis prout ejus status exigat, et indiget quoad victum, vestitum, et habitationem, et vitæ necessaria, quia hoc non est contra votum paupertatis, nec professi possunt carere his rebus: unde si a Religione non concedantur, eo ipso datur licentia quærendi et habendi illas; Lessius lib. 2. de *Justit.* cap. 41. dub. 13. num. 112. Lezana, tom. 1. cap. 23. num. 14. alia enim competunt ei de Jure naturæ, et casus necessitatis semper censentur exempti; tum quia in ipsomet actu ejectionis ab Ordine censetur ei facta facultas saltem tacite de his omnibus nomine Religionis disponere; Barbosa in cap. final. de *Regularib.* quæst. 7. num. 5. Rodriguez, tom. 2. quæst. 30. art. 29. Donat. loc. cit. quæst. 46. num. 7. et alii passim. (69. Non potest autem Ejectus facere expensas magnas superfluas, nec donationes illicitas, aut rerum pretiosarum, et

magni valoris, et accipientes ab illo tenentur ad restitutionem, quia Ejectus non est Dominus eorum quæ possidet, sed solum administrator nomine Religionis in ordine ad supradictos usus necessarios; quamvis tamen possit expendere et donare res minus pretiosas, et parvi valoris, absque eo quod accipientes teneantur ad restitutionem, quia quoad ista censetur habere facultatem tacitam a Superioribus Religionis, a qua est expulsus; Lessius lib. 2. de *Justitia* cap. 41. dub. 13. num. 113. Molina tom. 2. de *Justit.* disp. 276. et 120. Lezana l. c. n. 14. Donat. l. c. q. 50. n. 16. et 17. et alii.

(70. Ejectus non potest testari de bonis acquisitis in sæculo, quia potestas testandi pugnat cum Voto paupertatis; nec Ejectus est Dominus illorum bonorum, cum ex dictis habeat simplicem usum facti, et facultatem disponendi de iis solummodo quoad dictos usus sibi necessarios dum vivit; Sic Lessius l. c. numer. 113. *Clavis Regia* lib. 6. cap. 9. num. 28. Donat. loc. cit. quæst. 49. num. 1. Lezana loc. cit. num. 14. et communis aliorum. (71. Unde si ejectus decedat extra Claustra, omnia sua bona fiunt Camerae Apostolicæ, prout expresse statuit Gregorius XIII. Constitut. incip. *Officii nostri partes sedulo* (1). (72. Advertit tamen Passerinus de *Statu homin.* tom. 3. quæst. 189. artic. 8. num. 529. hoc decretum non habere locum de omnibus bonis Religiosorum, sed de illis quæ acquisierunt extra Claustra degentes. De his enim bonis loquitur Constitutio Pauli IV. incip. *Postquam*; et patet etiam ex cit. Constitut. Gregorii XIII. ubi dicitur, « tempore, quo extra Claustra hujusmodi fuissent acquisita; » et tandem § 3. statuit ut bona omnia per Regulares degentes extra Claustra acquisita, spectent ad Camera Apostolicam, ideo quæ Religiosus acquisivit antequam egrederetur de claustro, concludit dictus Passerinus, Religionis manent, nam fuerunt jam illi acquisita. (73. Hinc a fortiori manent Religionis, et illi debentur bona illorum Religiosorum, qui cum legitima facultate suorum Superiorum itinera arripientes, vel apud Parentes, Amicos, Benefactores Religiosas vacationes obeuntes, per accidens ibi decedunt; et ita censuit Sac. Congr. Episcop. et Regular. in Vercellens. 11 April. 1604. et 30 Junii 1604. (74. Ejectus si extra Claustra decedat, debet sepeliri in sepulcro a se electo, cum sit sui juris quoad electionem sepulcri; si vero decedat nulla facta electione, sepeliri debet in Ecclesia Parochiali, non autem in Regulari, quia Ejectus a Religione statuitur sub Jurisdictione Episcopi, eo modo quo cæteri Clerici illi subduntur; cit. § 4. decret. edit. sub Urbano

(1) Bulla Pauli V. de qua meminit Auctor numero sequenti de Apostatis loquitur, et de iis, qui aliquo sub prætextu extra Claustra commorantur, ut in *Bullar. Rom.* Typis Mainard. to. 4. p. 1. pag. 543. Bull. 21. Constit. vero Greg. XIII. inter suas ex eodem *Bullar.* 64. tom. 4. part. 5. pag. 530. nec de Apostatis, nec de Ejectis mentionem facit, sed de eorum tantum bonis, qui extra claustra commorantur etiam cum superiorum licentia. (EDIT. BARBIELL.)

VIII. ibi: « Sic vero ejecti, quando non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci jurisdictioni et obedientiæ subsint: » ergo instar eorum in Ecclesia Parochiali tumultantur; Anton. a Spiritu S. *director. Regular.* disput. 3. sect. 12. num. 493. tract. 8. cap. 8. num. 38. Ameno loc. cit. part. 3. quæst. ultim. et alii.

(75. Afferitur supplex libellus SS. D. N. Benedicto XIII. porrectus ab Ordine Fratrum Minorum, cum ejusdem Pontificis favorab. rescripto pro moderatione Bullarum circa expulsionem incorrigibilium; et est tenoris sequentis.

BEATISSIMO PADRE.

Intus.

Nel prossimo passato Capitolo Generale dell' Ordine de' Frati Minori celebrato in Milano, tra gli altri Statuti fatti, e stabiliti di comune consenso di tutta la Religione, e di già stampati coll' approvazione della Santità Vostra, si legge al numero 4. « Supplicetur Sanctissimus ab Officialibus Curie, etc., pro moderatione Bullæ expulsionis incorrigibilium ad normam Statutorum antiquorum. » Supplicata per tanto Vostra Beatitudine a nome di tutto l' Ordine Fra Giuseppe Maria d' Evora Commissario Generale di Curia del medesimo, acciò derogando alle Costituzioni della Santa Memoria de' Papi Urbano VIII. ed Innocenzo XII. circa questa materia, come quelle, che secondo la esperienza ha dimostrato, non possono mai ridursi in pratica, si compiacca permettere il servarsi l'ordine delli Statuti antichi a tenore del foglio ingiunto, e qui sotto trascritto in un Congresso generale dopo matura riflessione, ed esame conchiudo, ordinando, che basti alli medesimi Statuti aggiugnarsi con rescripto della Santità Vostra, senz' altra ulteriore spedizione di Decreto, Bolla, o Breve. Che della Grazia ec.

In *expulsione Incorrigibilium* universo Ordini nostro maxime salubri, et necessaria, nedum ad Religiosam pacem conservandam, atque candorem Ordinis conservandum; ejectis perturbatoribus, et scandalosis Fratribus suo malo exemplo et conversatione alios pervertentibus, et propterea a Seraaphico P. N. Francisco in suo testamento maledictis; verum etiam ad ipsam Regularem disciplinam, ubi viget, augendam, et ubi deficit, instaurandam, ob timorem exinde inquietis et discolis incutiendum; Servato jure communi, Reus post tria delicta gravia ejusdem (2) vel diversæ speciei (3) intra vel extra claustra commissa, si aliquando de iis (4) monitus, et punitus juridice, vel pa-

(2) Cum aliqui requirant identitatem specificam delictorum.

(3) Videtur aliquibus non nisi delicta extra claustra commissa, expulsionem puniri posse, perinde ac ea, quæ in claustris patratur, corruptelam ac perniciem Ordini nullam afferant.

(4) Ne excludantur privatæ monitiones quæque ad juris apices probari nequeant.

tentaliter (1) fuerit, et constet per juridica acta, vel (2) per Provinciae Regesta; in carceribus per aliquod (3) tempus detineatur, et examinatis actis alias factis, seu (4) sententiis contra Reum ipsum alias latis, (5) vel novis actis denuo confectis, si juridice tria gravia delicta, ut supra dictum est, probata sint, a suo Ministro Provinciali cum Provinciae Definitorio incorrigibilis declarari possit, non tamen expelli, nisi prius a Superiori Generali, cui acta hujusmodi mittenda sunt, de consilio sex graviorum Patrum, et cum voto Domini Consultoris saecularis, ejectionis sententia approbata et confirmata sit. Si Sanctissimo Domino Nostro placuerit.

RESRIPTUM.

Ex audientia Sanctissimi 6. Decembris 1729. Sanctissimus annuit, dummodo non

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Electio quoad ejus esse, divisionem, et formam.*

1. Electio generatim sumpta quid sit. — 2. Electio Canonica dupliciter sumitur. Prima generaliter, et latissime, sub quo nomine venit etiam Postulatio, Praesentatio, Nominatio, Petitio, et Collatio: secundo proprie, et stricte, et prout contra distinguitur a supradictis. — 3. Electio proprie, et stricte sumpta (de qua solum est sermo) est personae idoneae ad Ecclesiam vacantem, vel Praelaturam, per eos quibus eligendi Jus competit, Canonica vocatio. — 4. Assignatur differentia Electionis a Postulatione. — 5. Postulatio quid sit. — 6. Assignatur differentia Electionis a Praesentatione. — 7. Praesentatio quid sit. — 8. Assignatur differentia Electionis a Nominatione. — 9. Nominatio solennis quid sit. — 10. Nominatio est triplex, et assignantur quaelibet. — 11. Assignatur differentia Electionis a Petitioe. — 12. Simplex petitio quid sit. — 13. Assignatur differentia Electionis a Collatione. — 14. Collatio libera quid sit. — 15. Collatio est duplex libera et necessaria. — 16. Collatio libera, seclusa speciali concessione, non potest fieri per Vicarium Generalem Episcopi. — 17. Neque ipsa transit ad Capitulum, Sede vacante. — 18. Collatio necessaria quid sit. — 19. Collatio necessaria potest fieri etiam per Capitulum Sede vacante. — 20. Forma Electionis est triplex, scilicet Forma Scrutinii, Compromissi, et Inspirationis. — 21. Electio per sortes non valet. — 22. Electio per scrutinium quid sit. — 23. Octodecim substantialia formae electionis per scrutinium assignantur. — 24. Electio per Compromissum quid sit. — 25. Ad faciendum Compromissum pro electione requiritur consensus omnium Vocalium. — 26. Compromissum pro electione potest fieri etiam in unum solum, quamvis ipse non sit de Collegio. — 27. Compromissum pro electione non potest fieri in Laicum. — 28. Unus Compromissarius nequit eligere seipsum.

(1) Quandoque a Sacra Pœnitentiaria absoluti, sive ab ejusdem Sacrae Pœnitentiariae, sive ab Ordinis Foro moneri delinquentes ac puniri paternaliter solent.

(2) Ne excludantur Apostasiae, quae cum ob indultam Sacrae Pœnitentiariae absolutionem, vel aliam ob causam formali processu judicatae non fuerint, in aliquem relatae sint Provinciae librum, qui utique in Foro ea saltem fide gaudere debet, quae negotiorum codicibus adhiberetur, etc.

(3) Cum Urbani VIII. Constitutio annuam Innocent. XII. semestrem carcerationem requirat; Ex

adversetur Constitutioni *Universalis*, etc.

Loco * Sigilli.

N. M. CARD. LERCARI.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(76. Quod habet Auctor n. 42, et plur. seq. Ejectos uti infamia laborantes nec exercere suos Ordines, neque concionari, nec assequi beneficia posse, id locum etiam sibi vindicat quoad ejectos e Societate Jesu post emissa vota solennia, (77. non item quoad eosdem ejectos e Societate Jesu post emissa vota dumtaxat simplicia, ut probe monet sanct. memor. Benedict. XIV. de Synodo diœcesan. lib. 13, cap. 11, n. 2, ubi in hanc rem affert Resolutionem Sac. Congreg. Conc. et P. Girald in addit. ad Maschat. *Institut. Canon.* lib. 3, titul. 32, num. 39 (6).

ELECTIO.

— 29. Si compromissarii sint plures, possunt aliquem ex seipsis eligere. — 30. Compromittentes tenentur recipere electum a Compromissariis. — 31. Dummodo tamen servata fuerit forma Compromissi. — 32. Electio per Inspirationem quae sit. — 33. Et quae sit Electio per quasi Inspirationem. — 34. Ad hoc ut sit Electio per quasi Inspirationem debet esse sine omni fraude, et vitio. — 35. Hinc Electio ad clamorem populi non est confirmanda. — 36, 37. De forma electionis. — 38. 46. Nonnulla observanda in electione, quae fit, servata forma cap. *Quia propter*.

ARTICULUS II. — *Electio quoad illos, qui possunt, vel non, eligere, et eligi.*

1. De jure communi Jus eligendi Praelatum spectat ad Capitulum, seu Collegium, cujus Praelatus est eligendus. — 2. Hoc Jus diu in Ecclesia duravit, et etiam nunc in plerisque Ecclesiis perseverat. At in multis aliis nominant et praesentant Reges ex privilegio Pontificio, et in variis aliis nominat et instituit ipsemet Summus Pontifex. — 3. Jus eligendi Praelatum, quamvis de jure communi spectet ad Capitulum, seu Collegium, cujus Praelatus est eligendus, potest tamen ex privilegio, vel praescripta consuetudine acquiri etiam ab aliis Clericis extraneis. — 4. Immo possunt ipsimet Capitulares, vel Collegiales Electores de communi omnium consensu communicare Clericis extraneis facultatem eligendi, seu secum coeligendi. — 5. Si unus solus de Capitulo seu Collegio remaneat, aliis mortuis, privatis, suspensis, interdictis, excommunicatis, aut a Societate voluntarie recedentibus, ille solus poterit eligere alium in Praelatum totius Collegii. — 6. Non potest tamen ille eligere seipsum. — 7. Eligere non possunt: Primo, Pupilli, vel impubes. — 8. Secundo, eligere non possunt Furiosi et mente capti, quamdiu durat amentia. — 9. Tercio, eligere non possunt Excommunicati Excommunicatione majori — 10. Quarto eligere non possunt Suspensi ab Officio et Beneficio simul,

decreto autem Sac. Congreg. memoratum tempus, vel continuari debeat, vel interruptum reintegrari.

(4) Juxta enim Ordinis Constitutiones, elapso semestri ab executione sententiae, solo poenali iudicio retento, cuncta reliqua comburi debent.

(5) Ut carcerationis tempore delicta juridice probari possint.

(6) Confer eundem P. Giraldi in Expositione Juris Pontificii part. 4. sect. 643. pag. 474. seqq. ubi multa habet, quae ad traditam in hoc Artic. ab Auctore nostro doctrinam confirmandam vel illustrandam pertinent. (EDIT. BARBIELL.)

vel etiam ab Officio tantum. — 11. Non prohibentur tamen eligere suspensi a Beneficio. tantum — 12. Quinto, eligere non possunt personaliter Interdicti. — 13. Sexto, eligere non possunt Irregulares. — 14. Requiritur tamen, quod isti Irregulares, sicuti Excommunicati, Suspensi, et Interdicti sint nominatim denunciati. — 15. Septimo, eligere prohibentur infames infamia Juris. — 16. Octavo, eligere non possunt Laici saeculares. — 17. Nono, eligere non possunt in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, qui nondum sunt constituti in Ordine Subdiaconatus. — 18. Decimo, qui scienter elegerunt indignum, pro ea vice eligendi potestate privantur. — 19. Undecimo, qui per abusum saecularis potestatis elegerunt, ipso Jure privati sunt potestate eligendi. — 20. Duodecimo, eligere pro illa vice non possunt, qui intra tempus statutum eligere neglexerunt. — 21. Eligendum possunt, qui habent qualitates a Jure requisitas, et praecipue litterarum scientiam, aetatis maturitatem, et morum honestatem. — 22. Scientia est triplex, scilicet eminentis, mediocris, et sufficiens, et assignatur quaelibet. — 23. Scientia sufficiens mensuranda est juxta qualitatem loci, Officii, et Ecclesiae. — 24. In eligendis ad Praelaturas, atque Officia Ecclesiastica, quamvis desideranda sit scientia eminentis, adhuc tamen mediocris, immo et sufficiens toleratur. — 25. Quoad aetatis maturitatem *Vid. verb. Aetatis*: et quoad morum honestatem patebit ex mox adducendis. — 26. Eligi non possunt: Primo, infames, tam infamia Juris, quam infamia Facti. — 27. Hoc tamen procedit solum de Infamibus sententiatis, sive declaratis. — 28. Secundo eligi non possunt Excommunicati Excommunicatione majori. — 29. Item neque excommunicati excommunicatione minori; aliter licet Electio non sit ipso Jure irrita, est tamen irritanda. — 30. Tertio, eligi non possunt Suspensi sive a Jure, sive ab homine. — 31. Quarto, eligi non possunt personaliter Interdicti. — 32. Quinto, eligi non possunt Irregulares. — 33. Qui senel ob vitium personae sunt rejecti, non possunt amplius eligi, nisi sint specialiter restituti. — 34. Septimo, eligi non possunt ad Praelaturas, et Dignitates Regulares poenitentiatu a S. Officio, quamvis poenitentias compleverint. — 35. Hinc nequit eligi ad Praelaturas Regulares ille qui abjuravit in S. Officio, etiam de levi. — 36. Octavo, eligi non possunt Haeretici. — 37. Sic nec etiam Schismatici. — 38. Nono, eligi non possunt in Episcopos Neophyti. — 39. Decimo, eligi non possunt Spurii, et illegitimi. — 40. Undecimo, eligi non possunt Laici. — 41. Duodecimo, eligi non possunt bigami, et hujusmodi. — 42. Canonici non aliter jus eligendi habent, quam si in sacris sint constituti. — 43. 44. Sufficit quod sint in sacris tempore electionis. — 45. 46. Utrum jus eligendi habeat Canonicus proprietarius an possessor. — 47. 48. An Interdicti et Irregulares possint eligere. — 49. An excommunicatus admittus ad eligendum irritam reddat electionem.

ARTICULUS III. — *Electio quoad ea, quae concernunt Electores.*

1. Electores habentes legitimum jus ad suffragandum, sive sint absentes, sive praesentes, vocandi sunt ad Electionem novi Praelati. — 2. Si tamen sint nimis distantes, non sunt de necesse vocandi. — 3. Quenam autem requiratur distantia sufficiens pro ipsis non vocandis, standum est specialibus consuetudinibus, et Constitutionibus. — 4. Electores vocati non possunt cogi ad interessendum, nisi agatur de magno praesudicio Ecclesiae. — 5. Electores absentes, et impediti possunt eligere per Procuratorem. — 6. Si nemo velit hanc Procuratorem recipere, non potest Elector absens eligere per Epistolam. — 7. Electores tenentur sub gravi investigare de idoneitate personae eligendae. — 8. Electores eligentes indignum, id est cui desunt qualitates ad sic

promovendos requisita, ultra peccatum mortale quod incurrunt, ipso jure privati existunt pro una vice potestate eligendi. — 9. Haec autem poena privationis potestatis eligendi non incurritur nisi sequatur communis electio indigni, quamvis semper peccetur mortaliter dando scienter suffragium indigno. — 10. Eligens indignum, et asserens se id ignoranter fecisse, cogitur probare ignorantiam. — 11. Eligens scienter indignum peccat graviter, etiamsi sciat se nihil profuturum per denegationem sui suffragii, etc. — 12. Non debent, nec possunt Electores denegare suum suffragium ei, quem per solam Sacramentalem Confessionem noverunt indignum. — 13. Electores tenentur sub mortali eligere eos, quos digniores, et Ecclesiae magis utiles esse judicaverint. — 14. Obligatio sub gravi eligendi digniorem non solum procedit de Episcopis et Cardinalibus, sed etiam procedit de omnibus aliis habentibus Jurisdictionem quasi Episcopalem. — 15. Obligatio sub gravi eligendi meliorem procedit etiam de promovendis ad Ecclesias Parochiales. — 16. Electio digni, praetermissio digniore, est valida, quamvis illicita. — 17. Immo electio digni, praetermissio digniore, potest aliquando esse, nedum valida, sed etiam licita; Possunt enim Electores sine culpa eligere dignum, omisso digniore, in variis casibus, qui enumerantur. — 18. Et assignatur ratio. — 19. Elector renuntians electioni, si poeniteat, et se retractet, re adhuc integra, debet admitti cum ceteris Electoribus ad eligendum in Capitulo. — 20. Secus autem, re non amplius integra. — 21. Res quando dicatur adhuc integra, vel non. — 22. Elector potest ante publicatum scrutinium variare vocem suam, secus post publicatum scrutinium, et a fortiori si jam miserit schedulam suam in Urnam in communi loco preparatam ad finem eligendi. — 23. Electores, quamvis sine vera et justa causa nequeant interponere appellationem, seu oppositionem, ne procedatur ad electionem, possunt tamen ex justa et vera causa. — 24. Electores postquam aliquem unanimi consensu elegerunt, non possunt deinde illi electioni opponere, nisi ex causis de novo emergentibus, vel nisi eis improbitas morum Electi de novo fiat manifesta, quae tempore electionis erat illis totaliter incognita. — 25. Talis oppositio fieri potest triplici modo, scilicet contra formam electionis, contra electum seu eligendum, et contra Electores, dummodo tamen fiat in scriptis cum juramento et causa rationabili exprimens in litteris oppositionem et appellationem continentibus. — 26. Electoribus est interdictus abusus illicitarum Capitulationum, quas, occurrente vacatione Ecclesiarum, seu Monasteriorum, interdum fieri contingit, et ad hoc datur Constitutio Innoc. XII. — 27. 32. De juramento ad quod tenentur appellantes ab electione. — 33. An Constitutio Innocentii XII. afficiat Collegia quae ex viris et mulieribus composita, unius Praepositae regimini sunt subjecta. — 34. An nomine pactionum et conventionum electionem praecedentium ab hac Constitutione damnatarum etiam justae et honestae intelligantur.

ARTICULUS IV. — *Electio quomodo, quando, et ubi fieri possit et debeat, ut sit Canonica, praesertim inter Regulares.*

1. Pro electione Canonica facienda, sunt in primis vocandi omnes, qui de jure aut legitima consuetudine habent jus in ea suffragandi, et sunt in pacifica possessione eligendi. — 2. Alias etiamsi unus solus contemnatur, seu non vocetur, potest ipse agere de contemptu, et electionem irritare. — 3. Si vero Vocalis contemptus velit pro bono pacis, vel alio fine ratam habere electionem, et non contradicere, electio valide subsistit. — 4. Sic etiam electio valide subsistit, si Vocalis contemptus sciens electionem factam, et potens contradicere, nihil opponit. — 5. Vocalibus vocatis, et in unum conventis sunt ante electionem